

[4] Epistola Clare et sororibus de ieiunio [EpCI]

«Super his autem, que me iam tibi reserare mandasti, **que scilicet essent festa, que forte** – ut te opinor aliquatenus estimasse – **in varietate ciborum gloriosissimus pater noster sanctus Franciscus nos celebrare specialiter monuisset**, caritati tue duxi respondendum: Noverit quidem tua prudentia, quod **preter debiles et infirmas, quibus de quibuscumque cibariis omnem discretionem quam possemus facere nos monuit et mandavit**, nulla nostrum sana et valida nisi cibaria quadragesimalia tantum, tam in diebus ferialibus quam festivis, manducare deberet, die quolibet ieiunando exceptis diebus dominicis et die Natalis Domini, in quibus bis in die comedere deberemus. Et in diebus quoque Jovis solitis temporibus pro voluntate cuiuslibet, ut que scilicet nollet, ieiunare non teneretur. Nos tamen sane ieiunamus cotidie preter dies dominicos et Natalis. **In omni vero Pascha, ut scriptum beati Francisci dicit, et festivitibus sancte Marie ac sanctorum Apostolorum ieiunare etiam non tenemur, nisi hec festa in sexta feria evenirent**; et sicut predictum est, semper, que sane sumus et valide, cibaria quadragesimalia manducamus».

(CLARA ASSISIENSIS, *Epistola III ad sanctam Agnetem de Praga*, 29-37: *Fontes francescani*, 2277-8).